

Dodecatheon paucissima dat semina in hortis nostris, uti reliquae plantae Americae septemtrionalis, eoque rarius apud nos excrescunt.

Othonna integrifolia Tua exacte eadem cum mea est, conjunxi in nova editione species ad leges Tuas.

Anthericum calyculatum Tuum literis inclusum est omnino simile reliquis speciebus ex Australi Europa. Eodem jure quo conjunxisti Solidagines s. Othonnas Tuas, et quidem sapientissime, eodem etiam jungas meam alpinam cum Tua; per gradus ex alpinis spicatis descendit in campestria racemosa flavissima, intermedia crescit in Gotlandia nostra, quam non facile dicas, utrum alpinae an Tuae propius accedat. Habet utraque calycem istum membranaceum trifidum, qualem nulla planta meae liliacea.

Insecta Tua perquam placebant.

1. Papilio Argus.
2. » Rapae.
3. » Hyale.
4. » Hyale.
5. » Hyale.
6. Phalaena nova quantum ego novi, mihi certe antea non visa.
7. Papilio Idus.
8. » Betulae.
9. » Paphia.

Papilio Hyale apud nos rarissimus, certe per decennium vix unus v. alter occurrit; puto 3, 4, 5 esse tantum varietates v. sexus differentias. Tu posses forte facilius in hos inquirere, cum apud vos videtur vulgatissimus.

Utinam Cacalia Tua vellet apud nos germinare, plantam enim numquam vivam vidi.

Aegerrime fero quod Gronovius tamdiu apud se retineat Tua et Scopuli dona, nunc non spes superest ea videndi ante proximam aetatem.

Floruit hisce diebus in horto meo unica planta rariss-